



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

§. VIII. De Impedimento Disparitatis Cultûs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

tiatús emitti solita: nam eiusmodi Votum simplex Castitatis, ante legitimam è Societate dimissionem, non solum impedit matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum: prout constat ex Bulla Gregorij XIII. *Ascendente Domino* (& habetur tom 2. Bullarj Romani, *Constit. 59. dicti Pont.*) ubi §. 22. omnes ad sic contrahendum inhabiles declarantur, ipsique contractus annullantur. Et merito: nam etiam tales Professi specialiter quoad hoc se posuerunt in potestate Ecclesiæ.

## §. VIII.

## De Impedimento Disparitatis Cultús.

Impedimē-  
tum Dispa-  
ritatis Cul-  
tús, quod?

78. **P**er *Impedimentum Disparitatis Cultús*, seu *Disparis Cultús*, aliud non intelligitur, quam illud, quod oritur ex disparitate in Fide: qualis Disparitas in Cultu, seu Fide, datur inter eas personas, quarum una est fidelis seu baptizata, altera verò infidelis & non baptizata. Et talis Cultús Disparitas est Impedimentum dirimens matrimonij, ita ut defectò persona fidelis cum infideli validè contrahere non possit.

Solvitur in  
Antia.]

79. Nec obstat, quòd S. Monica nupsit Patritio cuidam gentili, & S. Clotildis Clodoveo Francorum Regi adhuc gentili. Resp. enim, id tunc validè factum, eò quòd vel illo tempore necdum ab Ecclesia fuerint annullata & irritata talia matrimonia, quæ fuerunt contracta inter fidelem & infidelem; vel certè ob rationabilem causam tunc prædictæ personæ obtinuerint legitimam dispensationem. Siquidem hanc Cultús Disparitatem solo Jure Ecclesiastico irritare matrimonium, eò quòd Ecclesia illegitimaverit Fidelem respectu Infidelis, notat Scotus 4. *Dist. 39. §. De secundo*, estque communis.

Alia Cultús  
Disparitas,  
quæ est in-  
ter C. holi-  
cos, & Hæ-  
reticos,  
Hæc impe-  
dit matri-  
monium.

80. Præter hanc Cultús Disparitatem, quæ intercedit inter fidelem ac Infidelem, datur adhuc alius Dispar Cultus, qui reperitur inter eas personas, quarum utraque est baptizata, una tamen est Catholica, altero verò hæretica, vel apostata à Fide: nam etiam tales personæ habent disparem cultum; seu Fidem. Caterùm hæc Fidei, seu Cultús Disparitas non dirimit matrimonium, quamvis illud contrahendum *impediat*: ac proinde persona Catholica validè quidem potest contrahere matrimonium cum hæretica, non tamen licitè; tum talia matrimonia prohibeantur *c. Cave. & c. Non oportet, 28. q. 1.* Sanchez *lib. 7. disp. 72.* cum communi.

81. Excipe tamen cum eodem Sanchez loca illa, in quibus <sup>quod limitatur.</sup> Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, ut in Germania, Gallia, Polonia: in his enim ex consuetudine receptâ, & toleratâ, licent conjugia personæ Catholicæ cum hæretica, dummodò Catholica liberè, & absque subversionis periculo, permittatur in Fide permanere.

82. Pacta verò, quæ quandoque in talibus conjugijs ineuntur, ut quidam ex liberis nascituris Catholicæ Fidei, alij verò hæresi adhæreant, sunt prorsus impia & irrita: cum pugnent contra Jus naturale, & Divinum, quo tenentur parentes prolem in vera Fide educare, eique media ad salutem consequendam necessaria subministrare. <sup>Pacta de parte liberorum in hæresi educanda, sunt impia.</sup>

83. Quia insuper ex matrimonijs Catholicorum cum Hæreticis communiter majora eveniunt mala, quàm bona, utputâ pertractio conjugis Catholicæ ad hæresin, vel saltem violationem Legum Ecclesiasticarum; rixæ, & dissensiones inter ipsosmet conjuges; periculum manifestum perversionis liberorum nasciturorum, ac hujusmodi. Hinc præter Ritualia Diocesana, strictè circa hoc observanda, meritò notant Doctores, Parochis esse attendendum, ut, quoad possunt, sese opponant talibus conjugijs, neque ipsis assistant, nisi ineantur ex justa causa, & sine morali periculo subversionis: nunquam autem ijs, quorum Sponsi paciscuntur de parte liberorum educanda in hæresi: ne quoquo modo videantur consentire in pacta illicita, Jurique naturali ac Divino de legitima prolium educatione, atque instructione in vera Fide, repugnantia. Gobat *tract. 9. Theol. Experim. n. 220.* & alij.

§. IX.

De Impedimento Criminis.

84. **P**er *Impedimentū Criminis*, intelligitur Impedimentum dirimens matrimonij, quod ex aliquo gravi crimine ortum habet. Et quidem spectato Jure communi antiquo (nam Concilium Trident. *Sess. 24. de Ref. matr. cap. 6.* addidit Impedimentum ex Raptu proveniens) duplex est hujusmodi crimen, videlicet Machinatio in mortem conjugis, & Adulterium: quamvis hæc non semper dirimant matrimonium, sed in sequentibus duntaxat casibus. <sup>Impedimentum Criminis, quid, & unde oritur?</sup>

Ddddddd ;

85. Ita-